



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Deum habere voluntatem beneplaciti circa salutem & rectam omnium
hominum vitam, verior opinio fert. cap. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tradit in Enchiridio c. 103. ut sit distributio, quālogici vocat accommodam, ac si diceret Paulus, nullus saluatur, quem deus non velit saluare: sicut de aliquo preceptore dicere solemus. docet omnes pueros huius ciuitatis: tamen non omnes doceantur. Volumus enim dicere nullus in hac ciuitate docetur, qui ab illo preceptore non doceatur. Sic etiam intelligit illud Ioan. 1. illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hanc expositionem amplectitur Fulgent. lib. de incarnat. & gratia cap. 31. & sequitur Beda, & Ansel. in illum locum Pauli: sed tandem ipsemet August. eam non admodum probat.

4.
Ioan. 1.
Fulgent.
Beda.
Anselm.
Augustin.

Secundo interpretatur illum locum, ut sit distributio, quam logici appellant pro generibus singulorum, & sensus sit ex omni hominum genere Deus vult homines saluos fieri, ex viris, feminis, parulis, regibus, pauperibus, &c. cui fauet litera textus: nam cum dixisset orandum esse pro Regibus, & in sublimitate positus, illico subiungit causam dicens. Qui (scilicet Deus) omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Veramque expositionem habet August. in Enchiridio cap. illo 103. & sequuntur Beda, & Anselm. in illum locum Pauli.

Roman 8.

Genes. 22.

Quid addat
opinionem po-
sit.
Gregorius.

Tertiam aliam ipse adhibet c. 15. de correptione & gratia circa medium hoc modo. Deus vult, id est, facit, ut velint omnes salui fieri, iuxta illud ad Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis hoc est, Spiritus postulare nos facit: & Genes. 22. Nunc cognoui quod timeas Deum, id est, nunc feci, ut cognoscas, quia timeas Deum. Augustini expositiones probat Gregor. in 1. d. 46. q. 1. imo addit, ideo in Deo non esse voluntatem circa salutem omnium hominum, quia nonnullis etiam denegat sufficientia auxilia ad hunc finem. Quod si ita est, non potest Deus circa illum finem ullam voluntatem habere, non solum beneplaciti, sed neque signi: id quod non multum abhorret a mente Augustini, qui plane concedit, aliquibus auxilia sufficientia non dari, ut infra disput. 97 videbimus: sed quia fundamentum falsissimum est, ut ibi ostendimus; nunc saltem probemus, solum esse voluntatem signi, non beneplaciti circa eorum salutem, tribuendo omnibus media sufficientia.

Primum ar-
gumentum
huius sen-
tentia.

Id vero ratione probatur, primum, quia cum aliquis potest alium saluare, & non saluat, plane conuincitur nolle eum saluare: sed Deus potest omnes saluare, & facere, ut recte vivant, ita ut a nullo impediatur: ergo cum non faciat, sequitur, non velle omnes saluare, neque facere, ut recte vivant: praebendo tamen remedia necessaria ad salutem indicare videtur, se velle omnium salutem, & tranquillam vitam. Deinde aut illa voluntas beneplaciti circa omnium salutem, quam aliqui Deo tribuunt, est efficax, aut est inefficax, quam vocant velleitatem: non est efficax, cum in multis effectum non habeat, neque inefficax: hac enim cum imperfecta sit, non potest in Deum conuenire, ergo nulla est in Deo voluntas beneplaciti circa omnium salutem. Ex quo inferunt praedicti Doctores, omnem voluntatem beneplaciti in Deo efficacem esse, ac proinde semper impleri, & eam solum aliquando carere effectu, quae tantum est signi.

Secundum
argumentum

6.

Deum habere voluntatem beneplaciti circa salutem, & rectam omnium hominum vitam, verior opinio fert.

Ego vero non solum veritorem puto oppositam sententiam, videlicet Deum voluntate beneplaciti velle omnium salutem, & rectam vitam; verum etiam sacris literis, & doctrina Patrum multo magis conformem, ut prolixius non videamus, qua ratione aliquis eam inficiari audeat. Quare cum non omnes homines saluentur, nec omnes recte vivant, necessario fatendum est, non omnem voluntatem beneplaciti semper impleri. Hanc sententiam traunt in primis ex Scholasticis Durand. in 1. dist. 47. q. 1. Carth. d. 36. q. 1. Bartholomaeus Camerarius in Dialogo Catholico ca. 6. §. 1. & indicat S. Thom. in hoc art. ad 1. docent enim non tantum in Deo esse signum huius voluntatis; sed etiam voluntatem beneplaciti circa omnium salutem, & rectam vitam: id quod praesentis cap. solum nobis probandum est. Nam qualis illa sit, verum antecedens, an consequens, absoluta, an sub conditione, & quomodo sine imperfectione Dei possit carere effectu, cap. 3. & 4. explicabitur.

Durand.
Carth.
Camer.
S. Thom.

Circa omnium igitur salutem, & rectam vitam esse in deo voluntatem beneplaciti, probatur primum ex Paulo 1. ad Timoth. 2. ubi cum dixisset orandum esse pro Regibus, &c. ut quietam, & tranquillam vitam agant in omni pietate, & castitate, continuo adiecit: Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ergo eodem modo dicit Paulus deum velle omnes saluos fieri, & veritatem agnoscere, atque recte operari, seu tranquillam vitam agere; haec enim connexa sunt: homines autem recte viuere bonum est, ac proinde (ut ait Paulus) acceptum coram Salvatore, ergo est illi gratum, & ique placet, quare voluntas, qua vult, omnes saluos fieri, & recte viuere, atque veritatis cognitionem consequi, erit etiam beneplaciti: quid enim aliud est, deum velle aliquid voluntate beneplaciti, quam illud sibi placere, acceptum & gratum esse. Quocirca cum 1. ad Thess. 4. dixit Paulus. Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra: non tantum expresse voluntatem signi; sed etiam beneplaciti, addere enim potuit, Haec enim grata, & accepta Deo est.

Teret. 9. 12. ad Tim.

Ex Patribus vero est pro hac sententia Profer. in lib. 2. de vocatione gentium c. 19. alias 7. & 21. alias 8. tamen ad capita Gallorum responsione 8. oppositum cum August. defendat.

Secund. in lib. 2. de vocatione gentium c. 19. alias 7. & 21. alias 8. tamen ad capita Gallorum responsione 8. oppositum cum August. defendat.

Deinde Damasc. lib. 1. de fide c. 29. circa finem explicans illud 1. ad Tim. 2. sic ait: Quia illud quoque ne fugiat Deum ut bonitate praestantem, primarie quidem omnes homines seruari, ac regni sui compotes esse velle, neque enim supplicij ac cruciatu causa, verum ad hoc, ut bonitatis ipsius participemus, nos effinxit, ut iustum autem quoque, qui peccant, penam inferri nihilominus velle: ac prius illud, ac cedens voluntas seu beneplacitum dicitur, ex ipso manare: secundum autem, insequens voluntas, ac permissio a nostro iusto ortum dicens, atque huius permissio duplex est genus, alterum dispensatorium, & eruditionis habens, quod ad nostram salutem spectat, alterum a desperatione proficiens, quod ad extremam, certissimamque viam ducimus, penam tendit. Atque hoc de his rebus, quae in nostra potestate minime sunt, statuere debemus, at vero ex his, quae in nostro arbitrio consistunt, ea quidem, quae

Damasc. in lib. 1. de fide c. 29.

Ter. ma. 10.

bona sunt, primarie vult grataque habet Deus, &c. Vbi Damascenus antecedentem, & primariam Dei voluntatem, qua vult omnes homines saluos fieri, & gloriam consequi, beneplacitum appellat, Deinde inquit, bona, quae in nostra sunt potestate, nempe tranquillam, & rectam vitam, Deo primarie volita, & grata esse, atqui grata esse non possunt, nisi ei placeant; eorum igitur voluntas non est tantum signi, sed etiam beneplaciti. Quare ex sententia Damasceni non tantum circa gloriam, quae non est in nostra potestate, tanquam opus nostrum, licet Dei voluntate pendeat ex meritis nostris; sed etiam circa ea, quae sunt in nostra potestate, ut circa bona opera, & rectam vitam, Deus habet voluntatem beneplaciti: nam primariam Dei intentionem, quam beneplacitum appellat, circa vitia; esse dixit, & circa ea, quae non sunt in nostra potestate, & circa ea, quae in nostro arbitrio posita sunt.

Sed præclare Chrysostomus, in epistola ad Ephesios, ubi primariam, & secundariam voluntatem id Deo eodem modo, atque Damascenus antecedentem, & consequentem, aut consequentem distinguit, hanc, de qua nunc differimus, esse voluntatem beneplaciti expressit his verbis: Secundum propositum voluntatis suae, inquit, perinde est, quia vehementer vellet fieri: hoc ipsius erat desiderium, quasi si quis dicat, hac ipsius erat voluntas; & deinde enim ubique est præcipua Dei voluntas, est enim, & alia eius voluntas, ut est primaria illa, secundum hanc non vult perire peccatores. Est & secundaria secundum quam eos, qui in secleribus persistunt conuincit, vult perire, neque enim istos necessitas peccati supplicio, sed voluntas Tale aliquid videre licet apud Paulum, videlicet, ut cum dixit volo omnes homines esse sicut me ipsum, rursum, volo iniores nubere, filios procreare, & deinde itaque primariam illam voluntatem indicat, & ingentem ipsius, atque propensam erga nos cum flagranti desiderio coniunctam benignitatem. Neque enim cessantem dictione hac uti, & communicare licet, idque explicande rei causa, & in eorum gratiam, qui simplices sunt, quod ipsi dicimus, & secundum animi nostri voluntatem, affectionem, hoc est, quod mirum in modum cupit, vehementer desiderat, nostram ipsorum salutem. Hæc Chrysostomus qui cum primariam voluntatem duplici Græca voce expresserit, & deinde, quæ significat bonam voluntatem, seu beneplacitum, & deinde, quæ inter alia contentione deponat, manifeste docuit, voluntatem illam primariam vere in Deo esse, cum sit beneplacitum illius, & vehementem esse, cum sit veluti contentio quædam: ideoque dixit hanc & deinde significare ingentem Dei benignitatem cum flagranti desiderio coniunctam. Quis enim non videat in voluntate solum signi, quæ in Deo vere non est, hæc omnia minime quadrare posse.

Verum ratione hæc nostra sententia confirmatur, & declaratur magis: nam si consideretur salus, & æterna gloria hominum secundum se, & obseruatio præceptorum, atque iusta vita, non potest Deo non placere. Primum enim displicere illa non potest: deinde circa illam non potest voluntas Dei negative se habere, & omnem actum quasi suspendere; quæ duo disp. 79. satis demonstrata sunt: ergo circa hominum salutem, & iustam vitam non est in Deo sola voluntas signi, sed etiam beneplaciti: & ut seq. cap. dicemus, hæc voluntas desiderium recte vocari potest, sicut eam Chrysostomus appellauit, neque solum obiecta hæc considerata sub esse possibili Deo placere, sed etiam sub esse

Vsq. in l. p. Tom. I.

futuro. Non enim solum Deo placere, posse hominem seruare legem, aut posse glorificari, sed illam de facto seruare, & glorificari hominem acceptum est Deo, non quia quilibet homo de facto eam seruaturus sit, aut sit glorificandus; sed quia hoc quod est, seruare legem, & glorificari hominem, consideratum ac si ita futurum esset, non potest non Deo placere. Quare qui dicunt circa hæc tantum esse voluntatem signi, dicere debent, ea non esse Deo grata, & accepta, quod est absurdum. Verum hæc omnia cap. 4. magis perspicua sient.

Ex dictis licet colligere, non solum frustra Augustinum locis supra citatis noluisse concedere hanc voluntatem Dei circa omnium salutem, sed etiam locum illum Pauli nullo ex illis tribus modis recte exposuisse: id quod hac vnica ratione ex ipso textu deducitur. Apostolus enim ait ita acceptum esse coram Deo omnes tranquillam, & rectam vitam agere, sicut omnes saluari: sed ostensum est supra, Deum velle voluntate beneplaciti, singulos homines recte viuere: ergo etiam saluari. Hac ratione tres illæ interpretationes Aug. reijciuntur. Tertia vero interpretatio nempe, vult saluos fieri, id est, facit ut velint, peculiari alia ratione impugnari potest: quoniam Deus non facit, ut singuli velint saluari, & rectam vitam agere, ut comperitur: ergo recurrendum est ad aliquam ex duabus præcedentibus, videlicet, ipse facit, ut velint saluari, quicumque saluantur, vel facit, ut de singulis hominum statibus aliqui velint saluari, ac proinde tertia illa expositio per se constare nequit.

Est igitur vera interpretatio illius loci, quam retulimus ex Damasceno. Chrysostomus, & sequuntur Scholastici superius commemorati: nempe, Deum velle singulorum hominum salutem, & iustam vitam, id quod non intelligit Paulus, ut aliqui ex Theologis allegatis dixerunt, de voluntate signi, quia scilicet omnibus saltem præbet media sufficientia ad salutem: sed, ut ait Chrysostomus, Damascenus, & alij, quos pro secunda sententia citauimus, de voluntate beneplaciti. Qualis vero naturæ sit ea voluntas, & quomodo non semper impleatur, sequentibus duobus capitibus declarabitur. Et tandem duo illa argumenta, quibus aduersarij probant, non esse in Deo voluntatem beneplaciti circa omnium salutem in s. cap. diluentur.

CAPVT III.

Cuius voluntas dicatur antecedens.

Peruulgata Theologis est diuisio illa voluntatis antecedentis, & consequentis, de prompta quidem ex Damasceno, & Chrysostomo. locis citatis præcedenti cap. eaque vtilissima est, si recte intelligatur, ut à Patribus tradita est. Scholastici enim permulti in alium sensum vsurpasse videntur. Eorum igitur prius commemoratis acceptionibus, demum iuxta mentem Damasceni, eam exactè enodare operæ pretium erit. In primis Scholastici allegati cap. i. qui dixerunt, voluntatem quam Deus habet circa omnium salutem, esse solum voluntatem signi, non beneplaciti, sic distinguunt antecedentem, & consequentem, ut nec sit beneplaciti, illa vero signi, sed præterquam quod fallum est eorum fundamentum, ut præcedenti capite probatum manet, & contra mentem Damasceni, & Chrysostomi, ex quibus celebris illa diuisio desumpta est; hæc sententia non recte explicat, quare dicatur antecedens voluntas, quare vero consequens, relate namque

12.

Prima ratio

Secunda ratio

13.

Tertia loci interpretatio.

Chrysostomus, Damascenus.

14.

Voluntatis antecedentis, & consequentis explicatio prima.

Resutatur primo.

Damascenus, Chrysostomus.